

10 HISTORIÆ VENETÆ

1487 dio non persoluto egentes, desperantesque, domum quenque suam revertisse: neque qui collectam jam manum, prospere agentem commeatu supportando alere, stipendiisque representandis retinere, ne diffugeret, non potuerit, eum novo confiendo exercitui stipem alimentaque subministratum: multo enim facilius contineri stantia, quam lapsa prostrataque sublevari. Neque vero esse verendum, conventuram contra Venetos Germaniam, quos amicos semper habuerit, ut Sigismundi rebus auxilio sit, qui nullo reliquorum principum consilio, nulla ipse laceffitus injurya, bellum reipublicæ intulerit: præsertim cum Federicus Imperator ejus frater, neque pecunia, neque milite, neque ulla eum re omnino juverit, præ seque potius tulerit, id se nunquam bellum probavisse. Qui a suis negligatur, eum ab alienis exterisque hominibus auxilia impetraturum credere, cuius tandem esset timoris? Quod si dicatur, non jam quidem Sigismundi, aut alicujus privatim causa Germanos principes ad arma capienda conspiraturos, sed plane sua, ne Tridento capto Venetis aditus pateat ad se: responderi posse, complura esse in Alpibus reipublicæ oppida, diversis acquisita adjectaque imperio tempestatibus, quibus ex oppidis Germanicæ populi adeantur; ab his ipsis non longinquam locis Feltriam, Belunium, quamque in Carnis Cividalem appellant: complura præterea itinera vicis & castellis munita, cum hoc in Alpium ad orientem solem tractu, tum vero etiam in Brixianorum finibus ad Moernam atque Licates; in Bergomatium Sebinus lacus fauces, vallemque universam Triumpilinorum, quique ad Leponios, Lariumque lacum saltus, atque angustiæ pertinent. Neque tamen ullo tempore Germanos principes conspiravisse eis ab oppidis atque finibus repellendi Venetos causa: neque nunc, si Tridentum capiatur, conspiraturos: fassuros potius atque affirmaturos, jure id, meritoque Sigismundo accidisse, qui amicæ civitati bellum temere intulerit. Nam quod ad viarum angustias attinet, quantulum esset iter Tridentum usque? id tamen ipsum patefieri ante oportere, quæque sint castella Germanorum ipsa in via, ea esse capienda, ne quid hostile post tergum relinquatur. Extremum autem quod

fue-